



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum IV. Tua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Tua.

PARAPHRASIS.

Si Sacerdos Parochiæ Præfectus leprâ percussus fuerit, ab officio removeri debet, & necessaria portio ex Ecclesiæ redditibus, quoad vixerit, ei providenda.

Notandum. Si Parochus incidat in morbum incurabilem, ita ut officio, & administrationi Parochiæ præesse nullo modo possit, amovendus est, data ei congrua portione, ex redditibus Ecclesiæ, & alius in ejus locum substituendus, atque intitulandus. Ita probabiliter sentit *Gl. marginalis in c. precedente.* & docuit ibidem *Innocent. supra hoc c. Vincentius & alij.* Et colligitur ex verbis, quando absolutè dicitur, ab officio removendum esse, congruâ ei ad sustentationem assignatâ portione, consequenter alius substituendus est, qui proinde non erit Coadjutor, sed Rector principalis, & totalis, licet contrarium placuerit Joanni Andrea, Abbati, & pluribus alijs, qui existimant propter morbum seu infirmitatem, etiam incurabilem, non posse unquam removeri, aut destitui beneficiarium, nisi is consentiat, seu renunciât, de hoc iterum dicam *in c. unico hoc tit. in 6.*

CAPITULUM V.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Cùm Episcopus Aurasienfis gravi & incurabili morbo, fermè per quadriennium, laborasset, ita ut pastorale officium nullo modo potuerit exercere, Princeps Regionis, & cives à Metropolitano petiverunt, ut alium ipsis Episcopum provideret. Eam rem Metropolitanus Archiepiscopus Arelatenfis Innocentio III. significavit, qui hinc respondet: cùm Episcopus iste ad renunciationem compelli non possit, & afflictio addenda non


fit afflictio, sed potiùs ejus miseriam condolendum, eò quòd vir bonus extiterit, & Ecclesiam sibi commissam bene gubernârit, idèò velle se tam Episcopo, quàm Ecclesiæ ejus providere; idèòque mandare, ut Coadjutorem ipsi adjungat Archiepiscopus, virum providum, & honestum, per quem tum Episcopo, tum populo salubriter consulatur.

SUMMARIUM.

1. Coadjutor dandus est Episcopo, si morbum incurabilem hic contraxerit, ita ut officio Pastoralis præesse non possit.
2. Cujus Coadjutoris duo sunt officia, ut Rectoris scilicet curam gerat, & Ecclesiæ.

Notandum primum. Si Episcopus morbum, seu infirmitatem incurabilem contraxerit, ita ut officio Pastoralis præesse non possit, dandus est ei Coadjutor, uti habetur *in c. unico. eodem tit. in 6.* & videtur hoc esse speciale in Episcopo, quòd ob hanc causam incurabilis infirmitatis, aut senectutis decrepitæ, amoveri ab officio Episcopali nunquam possit, ita ut alius substituatur, juxta ea, quæ docui *in c. cum non pridem. 10. de renunciatione §. alia.* cujus ratio est, quam Hostiensis tradit apud Joannem And *in c. precedente prope finem*, quia inter Episcopum, & Ecclesiam tuam, veluti spirituale indissolubile matrimonium intercedit, prout dixi *lib. 1. decretalium tit. de translatione Episcopi.*

Notandum secundum. Coadjutoris Episcopo, vel alteri Prælato, aut Rectori propter senium, aut infirmitatem assignati, duo sunt officia, & obligationes, videlicet primò, ut Prælati, seu Rectoris curam gerat; deinde curam Ecclesiæ, in ijs omnibus, quæ pertinent ad officium Prælati, cujus Coadjutor constitutus est.



CAPITULUM